



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

6 Haereticus, ut quis sit, quae requirantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

cian. in tract. crimin. tom. 2. lib. 6. de pœn. blasphem. num. 5. in fin.

5 Sed invocatio dæmonum ꝛ ad sciendum futura est hæresis vera, quia attribuitur creaturæ, quod est creatoris, juxta illud: dicite mihi futura: & dicam, quia dii estis, *Esaiæ cap. 42. Felyn. eod. num. 5. & Abb. in cap. 1. nu. 4. de sortileg.*

6 Ut autem ꝛ quis sit hæreticus, non sufficit solum error in intellectu, sed oportet, ut sit pertinax. Adeo quod non omnis error est hæresis, sed, qui cum errore habet adjunctam pertinaciam, quoniam, ut inquit, August. qui in Ecclesia Dei morbidum aliquod, pravumque sapiunt, si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere pertinaciter persistunt, hæretici sunt, *c. dixit, c. qui in Ecclesia, 24. qu. 3. clem. unic. §. porro, de sum. Trinit. gloss. in c. inter nonnullos, in vers. pertinaciter, de verb. signif. in extravag. 10. 22. & S. Thom. 2. 2. qu. 11. art. 2.*

7 Pertinax est, ꝛ qui contra prohibitionem superioris quasi ex contemptu scienter, vel studiosè, alia affirmat, vel defendit, *cap. excellentissimus, 11. quæst. 3. cap. fin. extr. de pœn. cap. 2. & cap. fin. in fin. de cler. excom. ministr.*

8 ꝛ Et hæreticus est primò, qui animositate, vel ausu incorrigibili sententiam suam, quamvis fallam, atque perversam contra fidem asserit, & defendit, *cap. dixit Apostolus, junct. gl. in vers. & secundum, 24. quæst. 3.*

Secundò, qui falsas opiniones contra Christi fidem gignit, vel sequitur. S. August. relat. in cap. hæreticus, eadem quæst. 3. & Direct. Inquisit. super cap. firmissimè,

ver. item qui confingit. de heret. par. 2.

Tertiò, qui errat in Eucharistiæ pretiosissimo sacramento, videlicet, in transubstantiatione per quod anima Christiani unitur Deo, seu aliis substantialibus, ut *cap. ad abolendam, ext. de heret. Concil. Trid. decret. de transubstant. cap. 4. sess. 13. & ean. 2. cum alijs pluribus de Sac. Eucharist. ead. sess. 13.*

Quartò, errant tam in fide quam circa sacramenta Ecclesiæ d. cap. ad abolendam, & ibi Abb. num. 2. & Felyn. num. 1. de heret. & Conc. Trid. in decret. de sacer. sess. 7. & de sac. matr. sess. 24. & Grass. decis. aur. cap. 18. num. 15. par. 1. lib. 4.

Quintò, ꝛ qui animo superbo dispositionem Sedis Apostolicæ servare, & ei obedire contemnit; quia peccatum ariolandi est non obedire; & scelus idololatriæ, non acquiescere; vitium paganitatis, Sedi Apostolicæ parere nolle, *cap. si qui sum, 81. dist. cap. sciendum, 8. quæst. 1. & Host. in sum. de heret. num. 1.*

10 ꝛ Qui autem jocosè verba hæreticalia profert, hæreticus non est judicandus; cum deficiat error in intellectu, & pertinacia in voluntate, quæ faciunt hæreticum; & factum jocosum pœnam non meretur, *cap. 1. de sentent. excom. l. 1. §. deus ff. de sic ar. l. obligationum substantia, §. fin. ff. de actio & obligat. & l. sicut. semel C. de liber. cau. Quæ conclusio, licet regulariter sit vera, fallit tamen in crimine hæresis, in quo licet verba hæreticalia jocosè proferens, non sit dicendus hæreticus, puniri tamen potest Episcopi, aut Inquisitoris arbitrio, ad quos etiam spectat, an jocosè, vel seriò sint dicta, determinare. Card. in clem. 1. §. nos igitur, in fin. de sum. Trinit. & fid. cath. & Grass. eod. cap. 8. num. 6.*

Episc